Eminentiſsime Princeps, idque quàm accuratiſsimè oculis, animoque perluſtraſsem, illicò intellexi, quàm iniquè nonnulli audaces homines Auguſtinum de Mentis noſtræ natura ratiocinantem enormiter a vero deflexiſſe, corporum nempé mole, ſpatiorumque dimenſionibus humanas Animas tumere, Tertulliani veſtigijs inſiſtentem, docuiſſe tueantur. Quidnam abſurdius, quidnam a tanti Viri dignitate, ac propè divinà eruditione alienius dici poteſt? Siquidem mihi perdoctas, ac nervoſas vindicias tuas, Hipponenſis deinde Antiſtitis præclariſſima, & admiranda Opera cogitatione revolventi, manifeſtè innotuit, nullum ex Chriſtianis Philoſophis ſaniùs, ac ſolidiùs humanæ Mentis affectiones inveſtigaſſe, quàm perſpicaciſſimum Auguſtinum, qui haud extrorsùm, ſed intùs in ſuis veluti penetralibus intelligentem inſpiciens Animam, hanc incorpoream, ac ſempiternam eſſe, in ipſomet incommutabili Vero animo noſtro conjuncto proſpero eventu detexit, atque adverſùs Epicuri ſectatores acriter diſputans, robuſtiſſima argumentatione demonſtravit. Idcircò interiori, ac recondita illius philoſophandi ratione atten-